LUXATIONIS TIBIAE DEXTRAE, EXTRORSUM INCOMPLETAE, COMPLICATAE CUM FRACTURA FIBULAE DEXTRAE EXEMPLUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS CHIRURGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA, CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA
HONORES RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XII. MENSIS DECEMBRIS ANNI MDCCCLXII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

AEMILIUS FISCHER,
POMERANUS.

OPPONENTIBUS:
H. HOLLSTEIN, DR. MED.
L. KLEINE, DR. MED.
A. HANNEMANN, STUD. MED.

GRYPHIAE,
TYPIS FRIDERICI HACHE.

AVUNCULO DILECTISSIMO

GUILELMO LEIST

HASCE PAGELLAS

D. D. D.

AUCTOR.

Praefatio.

Luxationum genu articulationis historia jamdudum non plane ignota fuit. Etenim jam Hippocrates de genu articulationis luxatione scripsit et os luxatum femur esse putavit. Quum posterioribus temporibus clarissimi medici, qui eandem luxationem commemoraverant, tibiam esse disserent os de suo loco emotum. Recentiori autem tempore Malgaigne bene meruit, quod varios luxationis casus collegit, collectisque alios ab ipso observatos addidit.

Ex octoginta quos collegit casibus sexaginta novem ad virilem, novem ad muliebrem sexum pertinent, dum duobus in casibus utro in sexu reperti sint, non commemoratur. Vix opus est dici multo plurimas genu articulationis luxationes hanc ob causam

apud viros inventas esse, quod ipsis quae tractant negotiis pericula subeant, quae tales casus chirurgicos provocent.

Malgaigne autem genu articulationis luxationes hoc modo in classes describit:

„1. Luxations en avant.

2. Luxations en arrière.

3. Subluxations latérales.

4. Luxations en dehors.

5. Luxations en dedans.

6. Luxations antéro latérales.

7. Luxations par rotation.“

Nos autem nunc dicturi sumus de luxatione tibiae extrorsus.

Aetiologia.

Plerumque vehementissima et subita vis est, quae ex interiore parte progressa, ut tibia extrorsum egrediatur, aut femur ab exteriore parte introrsum prematur, efficit; aut ut Malgaigne dicit, luxatio introrsum primum se praebet, qua re ut tibia extrorsum egrediatur, efficitur. Subluxationis autem causa ea est, quod ab exteriore parte vis ita genu articulationem, ut interiores articulationis superficies femoris et tibiae a se removeant et ruptura ligamenti lateralis interni efficiatur. Ejusmodi autem luxationum causae tam variae sunt, ut, causas a Malgaigne commemoratos ante oculos ponamus, necesse esse videatur.

„Le sujet de Cooper avait été jeté par un écart de s n cheval, par dessus une barrière, de telle sorte que la jambe resta prise d'un côté entre la barrière et l'animal, la cuisse entraînée par le poids du corps de l'autre côté. Le mien, en descendant une soupente, etait tombé et avait heurté, disait-il, de la partie supérieure et externe de la jambe contre une marche de l'escalier: voilà deux cas où la luxation semble avoir débuté par une subluxation en dedans. Le blessé de Delamotte

avait été renversé sur le dos par un éboulement, les jambes écartées, la cuisse gauche soutenue par une élèvation de terrain, la jambe portant à faux, en sorte que le tibia avait été probablement heurté par sa face interne. — Le sujet de Bonn etait tombé de cheval, celui de Hargrave avait sauté hors d'un vagon de chemin de fer courant avec une vitesse de 20 milles à l'heure, et crojait être tombé sur les pieds. Celui de Bruch était un jeune homme de 18 ans, portant déjà une fausse ankylose du genou droit avec le tibia repoussé en dedans et le pieds tourné en dehors, lorsqu'il fit de sa hauteur une chute dans laquelle le pied fut retenu en dedans. Enfin le blessé de l'Hôtel-Dieu était un vieillard de 80 ans, qui était occupé a caler un tombereau à bascule, quand le tombereau s'abattit sur lui, sans qu'il sût donner d'autres détails.“

In casu qui in clinico nostro observatus est, luxatio eo effecta esse videtur, quod aegrotus magna ex altitudine delapsus condylum internum tibiae dextrae ossi calcaneo sinistro afflixerit, tibia hoc modo extrorsum distorta.

Diagnosis.

Luxatio autem tibiae extrorsum incompleta multas quoque varietates praebebit, prout patella in tibiae luxatione plus minus de loco suo mota sit. Malgaigne hic duas subdivisiones facit:

„1. Luxation tibio-rotulienne incomplète.

2. Luxation incomplète du tibia, complète de la rotule."

Omnibus autem, quos Malgaigne commemorat, in casibus patellae acumen extrorsum distortum est, id quod in luxatione tibiae extrorsum facillime intelligendum est; quum enim patellae apex ligamento patellae haud mediocri cum superiore tibiae parte conjuncta sit, patellae apex tibiae motum sequatur necesse est, nisi hujus ligamenti ruptura accidit, quod ad efficiendum summa vis adhibenda fuerit.

In casu, qui infra in morbi historia a nobis commemorabitur in fossa patellae femoris versatur patella, apex introrsum versa est. Ejusmodi casus usque adhuc nondum observatus est, causamque satis manifestum hujus a regula digressionis reperire non potuimus.

In genu articulatione perquirenda, prout tibia plus minus extrorsum remota est, condylum femoris internum plus minus introrsum, condylum externum tibiae plus minus extrorsum eminentem invenimus; tamen condylus internus femoris, si Malgaigne opinionem sequimur, non semper tam evidenter eminet, quam condylus externus tibiae, quum si tibia femurque suo loco posita sunt, jam illa huic extrorsum prominet. Plurimis in casibus crus femori extrorsum prominet, dum extremitas genu valgi positionem accepit; sin praeterea subluxatio introrsum re-

perta erit, prout plus minus evenerit, sub condylo interno femoris digito perquirente minorem vel majorem inflexionem reperias. Cruris femorisque motus aegrotus ipse plerumque facere non potest, dum aliorum opera motus facillime ac interdum cum majoribus interdum cum minoribus aegroti doloribus efficiuntur.

Prognosis.

Quum luxationis repositio idoneo tempore efficitur, quum alia momenta: fracturae ossium praecipue epiphysium, vasorum rupturae aliaque desunt, quum denique capsula articulationis non aperta est, prosper eventus sperari potest.

Therapia.

Ossa in suam sedem reponere, id quod plerumque in chloroformii narcosi suscipitur, partim ne aegrotus doloribus vexetur, partim ut musculi relaxentur, mediocres difficultates praebent. Ab adjutore quodam femur retinendum, ab alio crus extendendum est; tum chirurgus articulationis superficies in directionem inter se oppositam distorquere debet, quae, si hoc modo ad naturalem positionem redactae sunt, imprimis firmis fasciis praesertim vinctura gypsea hac in positione retineantur, et aegroti status accurate observetur necesse est, quum partim majore vel minore articulationis capsulae ruptura vehemens

arthrophlogosis et mala quae illam sequuntur evenire, partim ossa, si fasciae haud accurate injectae sunt a naturali positione facillime se removere possint.

Transeo nunc ad casum illum specialem, quem publicandum benevole mihi concessit Ill. Bardeleben.

Historia morbi.

Christianus Kiesow, quadraginta annos natus, receptus X. die m. Septembris anni 1861, dimissus die XVII. m. Octobris ejusdem anni.

Status praesens.

Aegrotus vir mediocris staturae robustus et bene excultus dexteri genu articulationis oedemate affectus est, quod per totam articulationis regionem diffusum ossium conturas, praesertim patellae minus perspicuas ostendit, quam in altero crure. Praeterea crus magis extrorsus distortum esse quam femur elucet, positio eadem atque in genu valgo. Pes extra versus est. Si genu articulatio manibus perquiritur molle et fluctuans oedema circa patellam, ex eruptione liquoris in articulationis capsulam ortum invenitur. Quamquam condylus internus femoris in interiore genu articulationis parte enormiter eminet, tamen flexio evidentius cognosci non potest. In fossa autem patellari femoris patella versatur, cujus apex a condylo interno tibiae paullum introrsum se re-

movet. In exteriore genu articulationis commissurae parte condylum externum tibiae fere $\frac{1}{2}''$ extra eminentem evidentissime cognoscis, dum fere 1″ sub apice capituli fibulae continuitatem fibulae interruptam esse animadvertis. Capituli pars paullum extra eminet, dum fibulae pars supposita paullum introrsum remota est. Si fibula sub capitulo duobus digitis comprehenditur, huc et illuc promoveri potest, quo motu crepitatio concrepans oritur. Si circa genu articulationem corporis partem aliquam comprimis, aegroto parvum dolorem injicis; at summo dolore afficitur, si sub condylo interno femoris et sub capitulo fibulae premitur aegrotus. Aegrotus genu articulationem neque flectere potest neque extendere, quae quidem non plane extenta sed paullulum curvata est. Passivi autem motus ita fieri possunt, ut ad angulum rectum curventur crura et extendantur sine ullo aegroti dolore.

Anamnesis.

Aegrotus qui prius nunquam morbo se affectum esse contendit, hesterno die mane decima hora, quum domum unam tabulationem habentem tegulis contegeret, ut ipse opinatur, ex altitudine triginta pedum decidit. Casus autem causa ea esse dicitur, quod assis, in qua aegrotus cum operis socio consederat subito fracta est. Uterque decidit: alter quidem mollissime in fasces complures stramentorum, alter autem nudam in terram et

quidem in sinistrum corporis latus, ita ut dextram genu articulationem ossi calcaneo cruris haud mediocriter curvati affligeret. Statim summo genu articulationis dolore se conflictatum et laesione accepta articulationem depravatum, genuque valgum enormiter positum esse se animadvertisse, aegrotus dicit. Quum operis socio adjutore se erexisset domum abductus est, unde in clinicum Gryphiswaldense se transportari jussit.

Diagnosis.

Condylus internus femoris et externus tibiae enormiter, hic extra ille infra valde eminent, neque dubitare sinunt, quin luxatio tibiae extrorsum orta sit; et quidem haud dubitanter contendi potest, quum in inquisitione post narcrosin chloroformio effectam, crus facile extrorsum flecti posset, rupturam sive completam sive incompletam ligamenti lateralis interni factam esse. Oedema autem fluctuans verisimile est ortum esse; quod sanguinis vasa circa genu satis numerosa posita discissa sunt. Ossibus loco suo motis tegumentorum mollium acris dilaceratio effecta est. Quum pars, quae ad capitulum fibulae pertinet, paullum extrorsum emineat, supposita fibulae pars paullum introrsum distorta sit, inferior fibulae pars enomiter moveri possit, crepitatio concrepans flexionis loco sentiatur, et si locum comprimas, summis doloribus aegrotus afficiatur, ex diagnosi cognosci potest, fracturam fibulae nos habere ante oculos.

Malgaigne duos tantum casus commemorat, in quibus genu articulationis luxatio complicata erat cum fractura fibulae. Fortasse fracturae causam ita exponere nobis liceat, ut vehementem vim, quae tibiam extrorsum presserit, resistens ligamentum laterale externum superare non potuisse, tumque tibiae superiorem partem, quacum ligamentum laterale externum conjunctum est, fractam esse statuamus.

Therapia.

Inquisitione facta statim tibia incomplete extrorsum distorta reposita est. In narcosi chloroformio effecta, femore per duos assistentes retento, crus ab homine quodam extentum, tum introrsum remotum, simulque pedis rotatio introrsum facta est, tum crus in positionem flexionis angulum acutum formantis motum; extensione statim facta parvus sonitus concrepans — Knucken — auditur. Extensione facta condylus externus tibiae eminens in exteriore genu articulationis parte non amplius sentiri potuit, dum genu valgi positio mediocriter tantum conspicienda erat; quam ob rem idem processus denuo repetitus est. Extensio, flexio et rotatio cruris introrsum, flexio ad angulum rectum et extensio. Hoc momento temporis etiam qui circumstabant strepitum concrepantem perceperunt. Positio genu valgi tum remota erat, ossaque inter se rursus suo quodque loco posita esse videbantur, qua

re statim extremitas vinctura gypsea circumdata est. Quum crus extrorsum facillime flecti posset, dum fasciae praeparantur, circa genu articulationis regionem cingulum factum est, quo adjutor genu articulationem extrorsum traxit, dum eodem tempore alius pede comprehenso crus paullum introrsum pressit simulque rotavit.

15. 9. Aegrotus quamdiu in clinico versatur, quod doloribus in genu afficiatur, semper conqueritur, cujus causa ut reperiatur, supra patellam hodie fenestra in fasciis efficitur. Manus patellae imposita pulsationes in genu articulatione sentit, ita ut aneurysma traumaticum primitivum adesse aliquis credere potuerit, aure autem imposito nullus strepitus percipitur; tum fasciis in anteriore parte per longitudinem discissis pulsationes non audiuntur.

19. 9. Aegrotus bona valetudine usus est, neque doloribus se vexari dixit. Fasciae discissae valde remissae sunt, quam ob rem crus aliam positionem genu nactum est, valgi. Fasciis remotis crus in rectam positionem ducitur, quod facile efficitur, pede rotato et condylo tibiae interno condylo femoris interno pressione appropinquato; quo in processu evidenter cognosci potest articulationem enormiter mobilem et praesertim ligamentum laterale internum dilaceratum esse. Crure in recta positione retento et cingulo circa genu articulationem fixo, adhibita nova vinctura gypsea, rursus etiam pedem cir-

cumdat, alligatur. Per suram diffusae flavae sugillationes repertae sunt. Fasciis factis extremitas genu vari positionem praebet.

22. 9. Recentissimae fasciae lentius exsiccatae sunt, quam ob rem extremitas ex positione genu vari in genu valgi positionem reverti potuit. Fasciae laesae hodie renovantur, aegrotus baculis fultus incedere potest.

7. 10. Aegrotus optima valetudine utitur et per diem ambulat baculis fultus. Quum ea fasciarum pars, quae fixationi pedis articulationis praestat, aegroto molesta sit et doloribus eum afficiat, fasciae hujus partis removentur, praesertim quum articulatio genu jam firmitatem quandam nacta esse videretur. Quo facto statim dolores deminui aegrotus sentit.

10. 10. Hodie fasciis remotis genu articulationem etiam tunc valde esse extentam, extremitatem in positione genu valgi paullulum versari, condylum femoris internum etiam tunc paullo magis eminere quam extremitatis sanae, perlucide cognosci potest. Aegrotus crus in genu articulatione flectere non autem insistere potest; sin autem insistere conatur crus introrsum inflecti ipsi videtur. Fibulae fractura consolidata est, in fracturae regione tumor callosus sentitur, sugillationes evanuerunt. Ut exsudatio ad resorptionem redigatur magnum vesicatorium articulationis regioni applicatur.

15. 10. Vesica plane exsiccata est, articulationis

capsula non tam extenta est quam antea. Postquam hodie denuo fasciae applicatae sunt aegrotus XI. die m. Octobris, orante ipso et obsecrante dimittitur, sancte firmiter promittens, post quatuordecim dies se rursus praesentem fore ut fasciis remotis passivi articulationis motus tentarentur.

7. 11. Hodie aegrotus in clinicum revertitur. Fasciae etiam adsunt, ea parte, quae pedem circum dedit, excepta, quam ipse quatuordecim diebus ante resecuit. Fasciis remotis, dexteri genu regionem etiam tunc oedematosam esse, patellam quidem minus eminere quam in sano crure, exsudationem autem articulationis plane ad resorptionem perductam esse perspicuum erat.

Distantia per transversam patellam

	aegr. extr.	san. extr.
	38	37 Ctmtr.
supra patellam	36	36 Ctmtr.

Extremitas etiam tunc genu valgi positionem paullum obtinet, dum condylus internus femoris paullo magis eminet quam sanae extremitatis. Aegrotus crus in genu articulatione fere ad angulum centum triginta quinque graduum flectere potest. Quamquam aegrotus suis viribus nondum incedere tamen quum sublevatur altero brachio, totum corporis pondus aegroto crure niti potest; quum baculis

fulcitur idem terrae imponit. Aegrotus vinctura (Kleisterverband) applicata, rursus dimissus est, et minime eandem removendam esse viginti diebus post, ei dicitur.

VITA.

Natus sum *Albertus Aemilius Fischer* die XII. mens. Mai a. h. s. XXXV. in oppido Pyritz patre *Carolo*, matre *Friderica* e gente *Leist*, quos parentes morte jam ereptos valde lugeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis in scholis privatis imbutus Gymnasium Sedinense inde ab h. s. a. XLIX. paschali tempore per quatuor annos frequentavi, tum gymnasium Regiomontanum i. N. adii et testimonio maturitatis instructus paschali tempore a. h. s. LVI. ad almam universitatem Gryphicam me contuli et ab Ill. *Vogt*, tum fasces academicos tenente, civibus academicis adscriptus nomen apud Ill. *Bardeleben*, medicorum ordinis Decanum maxime spectabilem sum professus.

Disserentes audivi:

Ill. *Haeser:* de encyclopaedia et methodologia medicinae, de historia medicinae, de pathologia generali, de materia medica.

Ill. *Schultze:* de osteologia, chondrologia, syndesmologia corporis humani, de anatomia, de arte cadavera dissecandi.

Ill. *Huenefeld:* de chemia theoretico-practica, de geognosia et geologia, de chemia organica, de mineralogia.

Ill. *Muenter:* de botanice tam physiologica quam systematica, de flora Pommeraniae, de zoologia.

Beat. *Schildener:* de logice.

Beat. *Stiedenroth*: de psychologia.

Ill. *Budge:* de physiologia, de arte cadavera dissecandi, de anatomia corporis humani, osteologia, syndesmologia, myologia, splanchnologia.

Ill. *Bardeleben:* de chirurgia generali et speciali, de ophthalmiatrice, de fracturis et luxationibus, de akiurgia.

Cel. *Eichstedt:* de arte obstetricia theoretica, de operationibus obstetriciis.

Cel: *Laurer:* de arte fascias rite applicandi.

Ill. *Niemeyer:* de pathologia et therapia speciali, idem dux mihi fuit in clinico medico.

Cel. *Ziemssen*: dux mihi fuit in exercitationibus practicis in diagnostice physicali.

Exp. *Haeckermann:* de medicina forensi.

Exp. *Schirmer*: de operationibus ophthalmiatricis de arte speculo oculi morbos cognoscendi.

Exp. *Heineke*: de chirurgia.

In clinico chirurgico et ophthalmiatrico Ill. *Bardeleben*, Ill. *Pernice* in clinico obstetricio duces mihi fuerunt, Ill. *Ruehle* in clinico medico et psychiatrico.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas semperque habebo.

THESES.

I.

In partu difficili utendum est chloroformio.

II.

Methodus galvanocaustica anteponenda est omnibus methodis ad uteri polypos removendos.

III.

Resectio genu amputationi femoris praestat.